

caussa, & criterium a suo *κρινόμενω*, seu character a re dijudicanda.

2. Cum effectus non sit prior causa sua, & criterium τὸ κρινόμενον supponat, fidelitas non habet locum nisi in justificato, per fidem tali, ac magis magisque renovando. Sine quo supposito fidelitas non nisi Pelagiana est, virium mere naturalium.
3. *Iustitia divina* est illud essentiae divinae attributum, quo Deus ex jure creationis ac providentiae, secundum sanctitatem suam, tanquam legislator, humano generi legem suam, ad officiorum normam, cum vi obligandi ita praescripsit, ut secundum eam illud universum aliquando sit judicaturus.
4. Per *acceptas vires* hic intelligitur spiritualis illa recte sentiendi & bene operandi facultas activa, partim etiam passiva, quam divina unctio in ordine regenerationis attulit, & in universo renovationis cursu per charismatum affluxum subinde uberiores conservat ac auget.
5. *Digna* harum virium *collocatio* consistit in eo illarum usu, quo illa, tanquam deposita divina, ad singula christianismi officia ita applicantur, ut ipsa applicatione ista augeantur.
6. Ut vero fidelis illa acceptarum virium applicatio recta sit, *praescripto* ipsi opus est *legis*. Quae cum, pro extensione & intensione sua, omnia, externa & interna, maxima & minima complectente, sensus sit maxime emphatici, normam exhibet actionum omnium, internarum & externarum, adaequatam & rectissimam, recte cognoscendam & applicandam.

7. Id